MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS IV: 1.7. 1.9.)

Melk, um 1470 Seite 218r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

omnipotens hoc scito. R[espondit] Maximus et dixit.
Quicquid a deo datur. sempiternum est. Gaius
episcopus dixit. Ergo accipe et tu sempiternam
vitam. Dicit ei Maximus. Et que est
sempiterna vita? R[espondit] Claudius. Sicut et
ego cognovi. R[espondit] Maximus. Vere quod
tu cognovisti. ego desidero. Tamen
non debet elongari natio nostra a subli-
mitate augustorum. Dicit ei Gaius episcopus.
Nos te commonemus ut credas dominum no-
strum ihesum christum deum dei filium sempi-
ternum. quia sublimitas hec quam vide-
mus temporalis esse cognoscitur. illa autem
quam predicamus sempiterna et in novis-
sima detinetur amabilis. Hec audiens
Maximus cum gaudio suscepit. Dicit
ei Gaius episcopus. Nosti frater omnia que
dereliquimus que vobis diximus quanta
vobis commisimus. et nichil speravimus.
quam dominum ihesum christum per quem vivi-
mus et gloriam. Respondens Maximus
dixit. Ne tardes in me domine: sed quod
cognoscis expedire in me. sicut in nobis
facito celerius. Tunc indixit Maximo
ieiunium: et precepit ut ambularet ad
domum suam. Veniens autem ad domum
suam Maximus. nichil alicui confessus
est. sed tantum detinebatur amore frater-
nitatis: quia tamen cupiditate amoris Gai
episcopi et Gavinii presbiteri detinebatur. ut mor-
te proposita dominum confiteretur. Nam tamen
cum ipsis diebus illis fecit consilium
Et intra quinque dies cepit venundare
facultatem suam. et distribuere paup-
Post quintam diem (ibus christianis.
veniens mundus. misit se ad
pedes Gai episcopi dicens. Adiu-
ro te domine per ipsum per quem illuminasti
fratrem meum Claudium. ne me tardes
illuminare. quia sensi compunctionem
in corde meo domini nostri ihesu christi quem
tu predicas: a die quo me dignatus es
sermonem edificationis donare. Di-
cit ei Gaius episcopus. Ergo inclina cor
tuum ad invocationem domini nostri ihesu christi.
R[espondit] Maximus et dixit. Ego miser et in-
felix oro sanctimonium vestrum ut salvetis
animam meam. et eruatis me de presidio
idolorum ac tenebrarum. et ad veram lu-
cem producere dignemini. Gaius episcopus
dixit. Audi me frater. si ex toto corde
credis. et abrenuncias pompis et angelis
sathane. R[espondit] Maximus. Ego semel ab-
renunciavi. quia vestro exemplo vi-
vere volui. Tunc cathezizavit eum
Gavinius presbiter. et omnia sacramenta ma-
nifestabat ei. Et sanctus Gavinius presbiter fe-
cit secundum consuetudinem ut moris est. et
baptizavit eum. Et levato de pelve:
linivit eum crismatis sacramento. Et
obtulerunt pro eo oblationem domino et par-
ticipati sunt omnes. Et ceperunt omnes
ab eodem die simul habitare cum gau-
dio et hymnis. Maximus autem omni
nocte venundabat facultatem suam.
per quendam amicum suum nomine Trasonem
christianissimum togatum. qui occulte as-
sidebat publico. habens in corde suo
cum reverencia religionem christianam.
Quem ante multos annos Gaius episcopus
baptizaverat. Qui magis gesta
sanctorum martyrum colligens ornabat.
et omnia nocturnis temporibus pau-
peribus christianis erogabat. circuiens
privatos et carceres et custodias.
Eodem tempore post dies xv
divulgata est fama a quodam
pagano adiutore comitis
rei private nomine Arsitio Diocleciano
augusto. qui ad gloriam dicens Sacra